1181 Sicut ergo positum est hoc anno et tali ordine Lunicensis ecclesia inchoata crescit usque hodie rebus et personis et crescit[1)] cum adiutorio Dei usque in consummationem seculi.

[1)] statt crescat oder crescet

1182 Anno dominicae incarnationis inchoante 1182. mortuus est Dietlebus Olomucensis episcopus,[1] cui successit Pilgrimus Pragensis prepositus assumtus tam de choro quam electus in capitulo Pragensi per manum Friderici ducis, quo in loco solent assumi omnes ecclesiae illius episcopi, non quidem electione cleri, sed designatione principis, sicut oculata fide sepe iam vidimus fieri.[2] Ea tempestate mortuus est etiam Walis,[3] Pragensis episcopus, de quo supra diximus, cui successit prepositus Wissegradensis, patruelis Friderici ducis nomine Heinricus, filius Heinrici, fratris Wladizlai regis, qui Parisius nuper redierat, ubi profecerat in bonum clericum, bonae indolis adolescens, 3. Reg. 11,28 per quem sperarent omnes ecclesiam huius terrae in meliorem posse reformari statum. Hic cum esset subdiaconus, dominus Adalbertus Salzburgensis archiepiscopus, germanus Friderici ducis, de quo suo loco plenius dicemus,[4]

1) 1182 Nov. 6 (Gams) 1181 Nov. 3 nach Palacky

2) Vgl. Bachmann I, 364 Anm. 1

3) † Feb. 6

4) S. unten S. 139f